



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

V. Vtrum Essentia Dei constituatur formaliter per conceptum entis à se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

duplicatius includens simul cum Deo connotata creata realiter distincta, ac diuersa. Hac etiam praecise de causa nomina Dei non sunt synonyma, licet ex parte recti omnia significant rem adequatè eandem. Quae est expressa doctrina D. Thomae, aliorumque communis eodem illo in loco, quem indicat obiectio. Alia huiusmodi logicalia, quae rebus quoque creatis sunt communia, exponuntur communiter in Logica, nec sunt huc omnia connexenda.



QVÆSTIO V.

Utrum essentia Dei constituatur formaliter per conceptum entis à se?



IDEATUR non constitui. 1. Quia ratio entis à se est transcendens respectu omnium predicatorum Dei, sicut esse immensum, æternum, &c. Repugnat autem rationi essentiae, ut sit ita transcendens.

2. Essentia est præcipua in vnoquoque, summaque perfectio; utpote continens in se tanquam prima radix, cætera omnia, quæ insunt rei. Talis autem est in Deo, ratione nostra, uti est realiter in rebus creatis, gradus solus intellectui, aut intellectio actualis, ut multis contendunt Falsus Herice, & alij. Hoc igitur potissimum conceptu constituitur formaliter essentia Dei.

3. Omnia prædicata Dei, quæ sunt posteriora ratione, quam eius essentia, habent rationem attributi. Conceptus autem substantiæ, viventis, & similes, sunt posteriores in Deo ratione nostra, quam conceptus entis à se; & tamen non sunt attributa, ex communi omnium sententia. Ergo.

4. Essentia cuiusque, & definitio obiectiua sunt idem etiam formaliter, & ratione nostra. Ratio autem entis est extra definitionem, & est prior eadem. Nempe quaestio quia est, præcedit quaestionem quid est, ut docet D. Thomas ex Philosopho 2. poster. 6. Ergo eadem ratio entis est etiam extra essentiam.

5. Definitio, ut docetur ibidem, debet constare ex genere, & differentia; ens autem non est genus, ut docent frequenter Philosophus, D. Thomas, & alij. Idem colligitur ex eo, quod dictum est supra, Deum sub nullo genere vniuocè contineri. Continetur enim vniuocè sub ratione entis. Quia sub hoc conceptu formali præcisè, nec ex parte recti, nec ex parte obliqui, seu connotati, apprehenditur quidquam diuersum respectu Dei, & respectu creaturæ.

6. Essentia, & existentia: esse, & existere distinguuntur realiter in rebus creatis, ut docet sæpè D. Thomas, & post ipsum plures alij. Ergo distinguuntur in Deo ratione. Ergo ratio entis, seu ipsam esse non pertinet formaliter ad conceptum essentialem Dei.

7. Aseitas est conceptus negatiuus. Perinde namque est, atque conceptus non habentis causam à se distinctam. Essentia autem entis positui, quale proculdubio est Deus, est conceptus adequatè posituius. Quia per negationem non exponitur, quid sit res, sed quid non sit. Ergo aseitas non pertinet ad essen-

tiam Dei. Quod si propterea dicatur istud prædicatum esse posituium: difficultatem ingerit, quod docet Damasc. lib. 1. de fide cap. 12. initio; Omne posituium, & quidquid per Theologiam affirmatiuum dicitur à nobis de Deo, esse extra eius essentiam. Dicendum igitur videtur, nullum conceptum quidditatiuum, & essentialem Dei, siue affirmando, siue negando, esse assignabilem à nobis iuxta modum, quo ipsum apprehendere, & cognoscere valemus, dum sumus in via.

Art. 1. Respondetur. Quod est primum in vnoquoque constitutum ipsius, & distinctum eiusdem ab omnibus aliis; id verò ab omnibus essentia dicitur. Primum autem intelligitur, & posituium, & negatiue tale. Negatiue quidem; quatenus nihil eiusmodi ante se præsupponit. Positiue verò; quatenus est radix, & principium, aliqual cæterorum omnium, quæ vnicuique insunt. Hinc colligitur, iunctis iis, quæ dicta sunt in quaestione præcedenti, nullum esse discrimen obiectiuium, & intrinsecum inter prædicata Dei essentialia, & non essentialia, præterquam facta comparatione inter prædicata absoluta, & necessaria, ex vna parte; & relativa, atque terminationes liberas, ex parte altera. Nempe, respectu istorum posteriorum, illa priora habent procul dubio rationem essentiae. Quia habent, respectu eorundem, aliquod prioritatis genus ex parte obiecti, ut infra dicitur; seque solis sufficient ad discretionem Dei ab omnibus, & quibuscumque aliis, quæ non sunt Deus. Vnde nomine essentiae Dei, & predicatorum essentialium, frequenter intelliguntur omnia prædicata absoluta, & necessaria sumpta collectiue, & prout distincta virtualiter intrinsecè à personalitatibus, & conceptibus omnibus relatiuis; nec non à terminationibus liberis, quatenus libris.

Art. 2. Solum igitur superest quaestio de conceptu essentiali metaphysicè, & ex modo nostro concipiendi; id est, de sola distinctione virtuali extrinsecè inter conceptum primum, & conceptus secundarios Dei relatè ad connotata creata habentia, inter se, ordinem realem prioris, & posterioris. Etenim prædicata Dei differentialia, & discretiua à rebus creatis, si secundum se præcisè considerentur, & independentè à relatione ad connotata creata, omnia sunt simul, non solum obiectiue, & intrinsecè; sed etiam ratione, & ex modo concipiendi. Quia in ipsis secundum se nullum est fundamentum præferendi, aut postponendi vnum, seu conceptum, seu prædicatum alicui alij conceptui, aut prædicato; cum secundum se præcisè nihilo discrepent inter se; ut dictum est supra; nec possit intellectus fortiri differentiam ullam posituiam quoad suos conceptus formales, nisi ex parte obiecti apprehensi existat aliquod discrimen causatiuum differentiae inter cognitiones.

Art. 3. Certum nihilominus est, eadem Dei prædicata posse alia aliis esse priora, & posteriora, ratione nostra, dum concipiuntur relatè ad connotata creata, quorum alia aliis sunt priora, aut posteriora realiter. Sicut enim prædicata Dei distinguuntur inuicem ratione, propter diuersitatem realem rerum creaturarum, per quarum species, & adinstar quarum concipitur Deus: ita etiam ordinantur inuicem, tanquam prius, & posterius ratione, propter ordinem realem prioris, & posterioris conuenientem rebus creatis, quarum speciebus, & adinstar quarum concipitur Deus. Nempe Deus cognitus iam mediantibus creaturis habentibus rationem prioris, iam mediantibus iis, quæ habent rationem posterioris, apparet intellectui iam ut prior, iam ut posterior respectu sui ipsius. Prior quidem quoad perfectionem similem

perfectiōni creaturarum, quatenus realiter priorum. Posterior verò quoad perfectiōnem similem perfectiōni creaturarum realiter posteriorum, eadem perfectiō de causa; ob quam apparet nobis Deus, velut alius, & alius, atque diuersius à se ipso, propter alietatem, & diuersitatem realem rerum creaturarum; mediantibus quibus per distinctas cognitiones imperfecte, atque inaduate ipsum percipimus. Vtrobique enim obiectum imperfectum immediate cognitum tradocit, ac refundit similitudinem quandam, atque imitationem apparentem sui in obiectum præstantius, & innotum mediatè cognitum.

Art. 4. Huiusmodi apparentia contingit in intellectu ad eum ferè modum, quo in potentia visiva corporea contingit, vt idem obiectum visibile eundem in se semper coloris, ac situs, appareat iam viride, iam rubrum, iam caeruleum; modò propinquius, modò remotius; modò rectum, modò inuersum; propter visiones habitas mediantibus perspicillis eorum realiter in se colorum, & dispariter concavis, aut conuexis; atque diuersimodè dispositis in loco, seu rectis, ac inuersis; similiterque apparet tanquam multiplex, si perspicilla sint multangula. Quo exemplo, & discursu dignoscitur vterius, illud prioritatis genus convenire, ratione nostra, seu ex modo nostro concipiendi, vnicuique prædicato Diuino respectu alius, vel aliorum prædicatorum Dei, quod prioritatis genus conuenit realiter obiecto creato, per cuius species, & consequenter ad instar cuius, cognitum à nobis erit idem prædicatum Dei, seu potius Deus ipse totus, quantum est ex parte obiecti realiter terminantis cognitionem. Vnde, quia potentia nostra intellectiva est prior realiter prioritate naturæ, & causalitatis effectiue, quam intellectio ipsius. Deus quatenus intellectiue, est prior eodem genere prioritatis ex modo nostro concipiendi, quam quatenus intelligens actu: id est, potentia, vel potius non repugnantia Dei ad intelligendum est ita prior, quam intellectio Dei. Quia verò ratio substantiæ, vt sic, est prior prioritate fundata in sola non mutua subsistendi consequentia, quam ratio videntis, aut intellectiui, ratio substantiæ Diuinæ est similiter prior, ex modo nostro concipiendi, quam ratio vitæ, aut intellectualitatis diuinæ; idemque similiter dicitur de aliis eiusmodi.

Art. 5. Ex his deprehenditur iam clarè, conceptum entis à se esse primum omnium inter prædicata Dei. Quia in primis ratio entis est formaliter vniuersalissima omnium, ideòque prior prioritate consequentiæ non mutue, quam quodlibet aliud prædicatum, saltem in ordine ad nostram cognitionem. Quod addo propter proprietates transcendentales entis, quæ omnes sunt relatiue ad aliud; cum conceptus entis sit prorsus absolutus. Conceptus autem absoluti est prior conceptu relatiui, sicut simplex composito. Quæ est ratio D. Thomæ pro hac sententia in 1. distinct. 3. quæst. 1. art. 3. Deinde aseit as concipitur ad modum causæ respectu cæterorum prædicatorum Dei, ac proinde est prior illis, ex modo nostro concipiendi. Eadem de causa istud prædicatum est cæterorum omnium radix, & origo prima, ratione nostra atque ideò est primum Dei prædicatum, non tantum negatiue, sed etiam positue.

Art. 6. Ex ista consideratione deducitur alia eiusdem prædicati conditio, quam nonnulli seorsim expressam volunt ex expositione conceptus essentialis: Nimirum istud idem prædicatum esse præstantius, & maioris perfectiōnis, ratione nostra, quam prædicata cætera Dei. Quia principium reale æquiuocum alicuius necessariò illi præeminet formaliter. Aseit autem comparatur, vt tale principium cum aliis perfectionibus Dei, vt potè dissimilibus sibi formaliter,

Et præterea aseit as est conceptus formaliter oppositus summi imperfectioni creaturarum, & quæ est origo cæterarum omnium imperfectionum; Nempè esse ex nihilo, & ex se hoc tantum habere, vt nihil sint. Ea autem perfectiō est formaliter maior, quæ opponitur formaliter maiori imperfectioni. Apparet verò nobis Deus magis vel minus perfectus, estque proinde inæqualiter perfectus, ratione nostra, vt subest diuersis nostris conceptibus, atque inde nominibus referentibus vel positue, ac assimilatiue ad perfectiōnes creatas inæquales, vel negatiue, ac discretiue ad imperfectiones maiores, & minores. Solus igitur conceptus entis à se; seu existentis vi sua sola, seu sufficientis sibi se solo ad existendum, constituit aduate, ratione nostra, essentiam Dei.

Art. 7. Confirmatur cum Suarez Gillio, Auerfa, Smising, & aliis quam pluribus ex illo Exod. 14. *Ego sum qui sum*. Et rursus, *Qui est, misit me*: vbi intendente Deo manifestare suam essentiam, & quidem accommodatè ad modum nostrum intelligendi, vt potè erudiente populum rudem, ignarumque rerum sublimium, sola exprimitur ratio entis sibi à se conueniens, sine vt sibi conueniens quidditatiue per se ipsum, ac proinde essentialiter habens esse, seu essentialiter existens; sicuti homo est essentialiter homo, seu animal rationalis, & sic de similibus. Ea autem expressio coincidit omnino cum expressione à nobis proposita, nisi quòd hæc nostra facta est terminis scholarum propriis; illa verò terminis locutionis apud omnes familiaris. Communis consensus PP. pro hac sententia, & loci adducti intelligentia illi fanens videri potest inter alios apud Gillium l. 2. tract. 1. cap. 13. & 14.

Art. 8. Confirmatur rursus. Quia inter omnes conceptus constitutinos Dei, & discretiuos eiusdem à rebus creatis, notissimus omnium, atque adeò primus, ratione nostra, est conceptus entis à se, quod ex eo colligitur efficaciter à posteriori. Quia Philosophi, cum ignorarent cætera Dei, rationem tamen primæ causæ, seu existentis vi sua, & à se præcisè, investigare primam omnium, atque inde alia postmodum omnia deduxere, ad quæ ratio naturalis progredi potest; nisi quòd plures, & quoad plura decepti sunt in eiusmodi discursu. Quod ipsum iterum manifestat, cætera Dei prædicata esse obscuriora minusque nota, atque adeò posteriora, ratione nostra, & ex modo nostro concipiendi.

Art. 9. Confirmatur denique. Quia quò aliqua magis distat inter se, eò est vniuersalior ratio, cui adiungitur immediate ratio differentialis eorum; vt patet inter alia, in conceptu quidditatiue substantiæ, & accidentis, Substantia enim definitur ens per se. Accidens verò entis ens, seu ens in alio. Ergo conceptus differentialis Dei debet, à fortiori, adiungi similiter immediate rationi vniuersalissimæ entis, debetque constitui per perfectiōnem formaliter oppositam imperfectioni rerum creaturarum notissimæ præ omnibus aliis; quæ est dependentia ab alio, & insufficientia, vt sit, ac subsistat vi sua præcisè. Quæ perfectiō est aseit as, vt patet. Ergo legitima quoad nos expositio essentialis Dei est per aseitatem adiunctam rationi entis.

Ad 1. Licet ratio entis secundum se præcisè sit transcendens, non tamen est formaliter transcendens, vt coniuncta aseitati, quæ est formaliter diuersa à reliquis Dei perfectiōibus non minus, quam differant inter se reliquæ perfectiōnes diuinæ. Ergo conceptus iste aduate sumptus est idoneus ad constitutionem formalem essentialis Dei.

Ad 2. Omnia, & qualibet alia prædicata habent complementum potius suæ bonitatis, ac perfectiōnis, per esse, seu per determinationem ad existendum.

Quia

Quia videlicet cætera omnia comparantur tanquam potentia respectu existentie, seu esse, atque actus præeminer potentie in perfectione, ut docet in hanc eandem rem, & confirmat optime D. Thomas præsertim q. 7. de potent. art. 2. ad 9. Verum hoc ipsum patet clarius ex conceptu aseitatis superius ponderatæ, quo est longè posterior, ratione nostra, conceptus intellectui, & intellectionis; sicut, & alij ab alijs assignati conceptus tanquam essentielles; maxime verò est posterior conceptus entis æquivalentis omni alij enti. Quia hic conceptus est comparativus Dei cum omni alio ente, ideoque est posterior; quàm quilibet alius conceptus comparativus, cum quolibet ente, aut cum quolibet particulari entium genere, seu determinatè, seu vagè considerato. Quandoquidem quodvis totum, & quavis collectio est posterior quibuscumque eius partibus. Vnde istiusmodi conceptus distat plus à conceptu essentiali Dei, quàm quilibet alius proprius, & distinctivus ipsius Dei.

Ad 3. Ratio attributi dupliciter vsurpatur respectu Dei. Primò pro perfectione absoluta, & necessaria habente similitudinem cum accidenti creato, aut significata termino connotativo. Secundò pro perfectione qualibet secundaria, præsupponente, ex modo nostro concipiendi, aliam rationem differentialem Dei. Iuxta priorem vsurpationem, quæ, ut potè communior, retinebitur à nobis in decursu prædicata substantiæ, viventis, & familia, non dicuntur attributalia, licet sint conceptus secundarij; sed dicuntur substantialia: quatenus significantur per modum per se stantis. Iuxta secundam tamen vsurpationem possunt dici absque incommodo, & dicuntur nonnunquam attributa iidem secundarij conceptus; quatenus præsupponunt, ratione, aliud prædicatum; cui attribui possint per intellectum, iuxta connaturalem intelligendi, & enunciandi modum.

Ad 4. & 5. Deus non potest definiri propriè, sed tantum impropriè, & late quoad quid nominis, ut docent D. Thomas, & alij communiter. Quia non constat ex genere, & differentia propriè, & strictè talibus, ut dictum est supra. Et quia, dum sumus in via, non possumus assequi conceptum quidditativum Dei, ut est in se; sed solum conceptum aliqualem discretivum ipsius admodum imperfectè, & quasi adumbrando ad modum creaturarum. Quapropter essentia Dei explicatur idoneè, iuxta modum nostrum concipiendi, genere non propriè, sed lata quadam significatione tali, ut est ens. Eadem de causa quæstio quia tantum, inadæquatè distinguitur à quæstione quid circa Deum; neque istam quæstionem præcedit illa alia, nisi inadæquatè sumptam, licet secus accideret in creatis. Quia in Deo universalissima ratio entis immediatè, ac indivisim contrahitur per rationem differentialem, & actualitatem ultimam, ut liquet ex superiori discursu.

Art. 1. Ad 6. Plurimum inclino ad sententiam Niphi dicentis 4. Metaph. disp. 5. fine, quidquid diffidetur inter auctores de distinctione reali essentia ab existentia in rebus creatis; esse quæstionem de voce. Nec videtur laudandus Caietanus quatenus in præfati circa art. 4. q. 3. sub nomine Modernulorum deridet negantes eam distinctionem; cum iuxta eum sensum; in quo loquuntur, verissimè pronuncient. Causa æquivocationis videtur esse duplex significatio essentia.

Art. 2. Primò namque sumitur essentia pro verificatione propositionis quidditativæ, & veræ veritate simpliciter necessaria, vel pro eo obiecto, ratione cuius ita verificatur, ut sine ipso verificari non possint eiusmodi propositiones. Hoc sensu dicitur com-

muniter, tanquam primum principium: essentias rerum esse æternas, incorruptibiles, ac ingenerabiles; tamen nihil tale unquam conveniat ulli rei creatæ in se intrinsecè, sed omnia opposita. Certum est essentiam rei creatæ iuxta istam acceptionem, distinguere realiter ab existentia ipsius. Quia verificativum formale eiusmodi propositionum est intrinsecè solus Deus, & per solam denominationem extrinsecam ab ipso convenit rebus creatis, ut illas verificent, ut exponetur infra q. 16. In Deo autem, iuxta eandem acceptionem est realiter indistincta essentia ab existentia. Quia Deus verificat tales propositiones de se ipso, præcisè per se ipsum, ut est in se intrinsecè. Nihil namque extrinsecum superest, per quod denominari possit in ordine ad tales prædicationes; cum nihil præter ipsum, sit intrinsecè æternum, ingenerabile, & incorruptibile.

Art. 3. In eodem nihilominus sensu distinguitur inadæquatè, ratione nostra, essentia Dei ab existentia eius; quatenus ratio entis præscindit à conceptu verificantis, tum per se ipsum intrinsecè, tum extrinsecè per aliud, prædicationes, quæ sunt de ipso. Aseitatis tamen est incapax talis præcisionis, quia est ipsa ratio formalis opposita contingentia rerum creatarum, ob quam existentia ipsarum distinguitur realiter ab essentia sumpta pro verificatione propositionis necessaria. Rationi autem formali dissimilitudinis, imò, & oppositionis cum fundamento distinctionis realis, non potest convenire similitudo, & analogia quoad distinctionem rationis. Quare hæc analogia, seu correspondentia, & similitudo solum saluatur, ex parte Dei in ratione entis comparata cum aseitatis; non verò in conceptu essentia divina adæquatè sumptæ, & comparatæ, iuxta hunc priorem sensum cum existentia divina.

Artic. 4. Secunda vsurpatione essentia est pro primo prædicato cuiusque rei quod constituit ipsam in se intrinsecè, eandemque diversificat intrinsecè à quilibet alia re, simulque verificat, per se ipsum intrinsecè, propositionem affirmativam eiusdem constitutionis, & diversitatis de eodem prædicato; idque non solum conditionatè, seu quasi conditionatè, sed omnino absolute. Quo sensu dicitur communiter, inter alia, essentiam creatam esse realiter in supposito, & facere realem compositionem cum ipso. Iuxta hunc sensum essentia creata non distinguitur realiter ab existentia, Quia nulli rei, etiam creatæ, aut identificatæ quomodolibet realiter cum re creata, potest convenire in se intrinsecè, atque absolute prædicatum aliquod, nisi ratione suæ existentia, & quatenus est formaliter existens; quandoquidem existere, nihil est aliud, quàm esse in se intrinsecè tale, vel tale aliquid; & non solum per denominationem extrinsecam ab alio. Itaque, iuxta istam acceptionem essentia, & existentia, nullus est locus obiectio- ni, ut patet.

Artic. 5. Porro D. Thomas, & alij communiter, dum affirmant essentiam rei creatæ distinguere realiter ab existentia, loquuntur in priori solum sensu. Quod facile quisque deprehendet, si consuleris diligenter D. Thom. in quæst. ista 3. art. 4. & lib. 1. contra Gent. cap. 5 2. cum eodem cap. præsertim 5. de ente, & essentia; maxime verò 4. Metaph. lect. 2. At moderni reprehensi à Caietano, & quales sunt plerique huius seculi auctores, cum quibus proinde loquendum potius nobis est, loquuntur in posteriori sensu. Verum consultius est loqui semper, in hac materia, cum distinctione, iuxta explicationem datam. Quæ videlicet quietat magis intellectum & tollit, certè lenit plurimum partium contentiones.

Ad 7. Sicuti in rebus creatis insufficientia ex se

ad

ad esse, & defectus necessitatis existendi; est prædicatum propriè negatiuum, de quo dubitari non potest: ita in Deo aseitias, & sufficientia, ex se præcisè, ad esse, atque necessitas existendi, illi deuinctæ sunt prædicatum procul dubio positium, uti apparebit clariùs in quæstione sequenti; Ideòque est idoneum ad explicandum, quid sit res. Damascenus satis apertè suffragatur nostræ sententiæ in illo capite, solùmque præterea contendit, Deum cognosci à nobis melius, & clariùs per conceptus apprehendentes prædicata positia ipsius, ad modum negationis excludentis imperfectiones creatas. Quia de causa aseitias etiam Dei communiter exprimitur per negationem dependentiæ ab alio. Quod nihil nocet veritati rei significatæ, ut explicatiùs apparebit in eadem quæstione sequenti.



QVÆSTIO VI.

Vtrum attributa Dei rectè diuidentur in negatiua, & positiua?



VIDENTUR non rectè diuidi. Quia sicuti multiplicitas realis perfectionum, saltem simpliciter simplicium, est coniuncta essentialiter cum reali earum imperfectione, ut dictum est q. 4. ita multiplicitas rationis est coniuncta cum imperfectione rationis. In Deo autem, nec etiam ratione nostra, datur vlla imperfectio. Nulla porro diuisio vllibi dari potest absque aliqua multiplicitate. Nullus igitur est locus diuisioni, etiam rationis in Deo.

1. Omnis negatio ex suo conceptu est exclusio, & defectus alicuius esse. In Deo autem nulla est exclusio, nullusque defectus vllius esse. Quia Deus est pelagus infinitum, ac interminatum totius esse, atque perfecta essendi plenitudo, ut dicetur, ex Scriptura, & PP. quæstione sequenti. Nulla igitur est vera negatio in Deo; ac proinde nulla ipsi conueniunt attributa negatiua.

2. Qualibet negatio præsupponit aliquid positium. Quia omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione vera vel imaginata, ut docet D. Thomas quæst. 2. de malo art. 1. ad 9. & alibi non semel; ideòque affirmatio naturaliter est prior negatione, at idem docet 2. 2. q. 122. art. 2. ad 1. Ergo diuisio attributorum Dei debet potius fieri in positiua, & negatiua, quàm in conuerso.

3. Si quæ admittatur diuisio attributorum in Deo; sequitur admittendas esse infinitas in eodem diuisiones. Quia diuisiones reales possibiles creaturarum, adinstar, & per species quarum, & non aliter, fieri potest in Deo aliqua diuisio, sunt infinitæ. Infinitas autem diuisionum, etiam rationis, parit confusionem, & est absurda.

4. Admissis in Deo attributis aliquantulum diuersis, admittenda quoque forent aliquantulum inæqualia. Quia obiecta creata, quorum mutua inter se diuersitas est vnica causa diuersitatis nostrorum conceptuum circa Deum, habent diuersitatem, & dissimilitudinem mutuam, coniunctam essentialiter cum inæqualitate; atque ideò facere non possunt,

ut Deus appareat intellectui nostro veluti alius, atque alius, cum quadam respectu sui, diuersitate, quin simul appareat veluti magis, & minùs perfectus, cum quadam, respectu sui, inæqualitate. Sequela autem est absurda. Quia omnia diuina, quatenus diuina, sunt æqualia, etiam ratione nostra, propter infinitatem, & summitatem diuinitatis incluse formaliter in omnibus Deis.

Art. 1. Respondetur. Ex præmissis in quæstione præcedenti liquet clarè dari in Deo multiplicitem, seu diuersitatem prædicatorum distinctorum ratione nostra, iuxta diuersitatem, ac multiplicitem realem creaturarum. Indidem rursus constat inter eiusmodi prædicata, ea dici attributa, quibus assimilantur accidentia creata, aut quæ significantur terminis connotatiuis. Istorum attributorum diuisiones obseruantur à Theologis pro methodo doctrinæ de Deo idoneè ordinanda. Quam in rem præcipua, & apud omnes prima diuisio est in attributa positiua, & negatiua, utpotè primò diuidentia intelligibile ut sic, seu correspondentia immediatè primæ eius diuisioni.

Art. 2. Pro intelligentia huius diuisionis circa Deum, obseruanda est duplex distinctio negationum; nempe negationis secundum dici, & secundum esse obiectum; & rursus negationis puræ, & mixtæ. Negatio pura est, quæ ita excludit aliquid positium, ut nihil simul includat positium, aut ex parte termini negati, aut ex parte subiecti de quo dicitur. Negatio non pura, seu mixta est, quæ simul includit aliquod positium. Exemplum secundæ negationis sunt cæcitas, tenebræ, & distinctio rei à re; Primæ verò negationis exemplum est negatio existentia, aut possibilitatis rei alicuius prout est prædicabilis de ipsa seu existentia, seu possibilitate. Negatio secundum esse obiectum est vtralibet ex dictis negationibus, prout sunt à parte rei. Negatio secundum dici tantum est apprehensio, & expressio prædicati positiui ad modum alterutius ex dictis negationibus realibus; ut cum dicitur de aliquo non esse cæcum; non esse insipientem; non esse ægrotum; in quibus propositionibus prædicatum ex parte obiecti est re ipsa positium; & propterea propositiones sunt affirmatiuæ ex parte rei significatæ, quatenus duæ negationes affirmant.

Art. 3. In Deo nulla datur pura negatio secundum esse obiectum. Ex parte quidem subiecti. Quia Deo necessariò inest omne purum esse, seu omnis gradus essendi penitus expers imperfectionis. Ex parte verò termini à se distincti, sibi quæ extrinseci. Quia Deus per sua prædicata necessaria, de quibus solus est sermo, solas à se excludit formaliter imperfectiones creaturarum, & puras negationes aliarum in aliis creaturis mutuo fundatas. Ex iis autem, quæ sunt puræ negationes, excluduntur per prædicata purè positiua, ut patet. Imperfectiones verò utpotè indistinctæ à perfectionibus creaturarum, non excluduntur per puras, sed per mixtas negationes. Quarum nimirum ratione negantur de Deo perfectiones creatae prout contractæ ad ipsas creaturas ideòque prout coniunctæ cum imperfectionibus earundem; id est, cum negationibus vltioris perfectionis absolute possibilis. Solæ itaque mixtæ huiusmodi negationes dantur in Deo ratione deitatis re ipsa, & secundum esse obiectum. Hæc videtur esse intentio Dionysij dicentis cap. 4. & 12. de diu. nom. & cap. 2. Cælest. Hier. Non sic aliqua negari de Deo, quasi omnino ei desint; sed quia non eodem modo ei conueniunt, sicut, & nobis.

Art. 4. Iam negationes secundum dici tot dantur in Deo, sicut & in rebus creatis, quot in vniuersis

que